DE 'QUIN' PARTICULAE USU PLAUTINO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XII. MENSIS MARTII

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS SCHMIDT

WEIDBACENSIS.

MARBURGI

TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIDERICI.

MDCCCLXXVII.

LEOPOLDO SCHMIDTIO

PIO GRATOQUE ANIMO.

Theses.

I.

Plaut. Merc. 197 (ed. Ritschel.) ita scribendum est:

»Equidem med iam censebam esse in terra atque in tuto loco.«

II.

Plaut. Epid. v. 369 (ed Geppert.) sic est restituendus:

»Med quidem certo.«

III.

In Catonis oratione, quae inscribitur »Ut plura aera equestria fierent« (ed. Iordan. p. 66, 7) equidem censeo hanc scripturam esse retinendam:

»Nunc ergo arbitror oportere restitui, quo minus duobus milibus ducentis sit aerum equestrium.«

IV.

Demosth. de cor. §. 121 ita mutanda sunt verba, quae traduntur: ..... *καὶ νόμους μεταποιεῖν αὐτῶν ἀφαιρῶν μέρη* ....

V.

Verba graeca, quae sunt »ἁρπάζω«, »λύκος«, »ῥήγνυμι«, latina »lupus«, »rapio«, »ripa«, »rumpo«, »rupes«, nostra »wolf«, »räuber« eadem origine orta esse statuo.

VI.

Cartesius in »Meditationibus« non constitit sibi, quippe qui a ratione reflexiva, quae vocatur, ad dogmaticam aberraret.

VII.

Nonnullas Plauti comoedias electas etiam in scholis maximo cum fructu tractari posse iudico.

VIII.

Etiam latinam grammaticam in usum scholarum secundum comparativam rationem opus est componi.

Ars grammatica, postquam diu neglecta atque oblivione obruta fuit, repetita a viris doctis Italis, Gallis, Batavis Anglisque summa industria diligentiaque, sed plerumque parum subtili iudicio neque satis apta ratione exercebatur. Nostro autem saeculo a Germanis inprimis suscepta tam multum provecta est, ut, quomodo tam exiguo temporis spatio tam magni progressus fieri potuerint, vix intellegatur, et ut haec nostrorum hominum merita inter maxima sint referenda, quibus summam auctoritatem principatumque inter viros doctos adepti sunt. Ac cum ab aliis viris clarissimis nostris (commemoro exempli gratia Godofredum Hermannum, C. F. Bekkerum, Krügerum, Lobeckium) permultum in hac arte profectum esset, grammatica, quam vocant, comparativa inde a quarto huius saeculi decennio plurimum valere coepit. Haec vero viam plane novam, a prioribus diversissimam atque ad doctrinam grammaticam tractandam multo aptiorem instituit. Quas partes qui sequebantur viri docti, primo quidem solam formalem grammaticam studio operaque sua amplectebantur, cum hic, id quod natura rei fert, prisca singularum linguarum cognatio facilior esset cognitu quam in syntaxi, in qua excolenda propria cuiusque gentis indoles plurimum pollet. Itaque in formali parte permultum iam profectum est multaque illustrata, quae antea quasi tenebris operta erant, ut condicio declinationum et coniugationum, etymologia verborum, alia, cum in syntaxi

et ipsa comparativa ratione pertractanda vix initium factum sit, perpaucaque, in quibus acquiescere possimus, sint elaborata.

Quocirca Ludovicus Langius, vir doctissimus ac quaestionibus syntacticis, quae dicuntur, clarissimus, in congressu philologorum Gottingensi (qui erat anno huius saeculi quinquagesimo secundo) in hac quoque grammaticae parte comparationem adhibendam esse commonefecit; potissimum vero singulas linguas diligenter perscrutandas, ut qui quaque aetate usus consuetudoque fuisset, perspiceremus. Hac autem sola ratione intimam propriamque linguae naturam agnosci posse.

Quam sententiam cum vel maxime comprobarem, scholis academicis, quas hic vir illustrissimus de nonnulis capitibus syntaxis Graecae et Latinae, quae vocatur comparativa, ante tres annos Lipsiae habuit, tanto huius disciplinae amore sum imbutus, ut materiam inde depromptam ipse tractare animum inducerem. Ac Langius *quin* particulae usum, qui accuratiore disquisitione et dignus esset et indigeret, proposuit, ut a quibus initiis ortus qualis apud singulos scriptores fuisset, ex ordine deinceps explicaretur. De hac igitur voce agere conatus, quod alienum esset quicquam suscepisse mihi non videor. Quae iam antiquis grammaticis difficilis ad explicandum visa usque ad nostram memoriam nondum saltem ita subtiliter pertractata est, ut ipsam eius indolem et usum perspicere possimus.

Totam vero vetustiorem aetatem pervestigare, — quod ab initio proposueram mihi, — cum longum sit et multo maioris laboris, quam quem tolerare possim, Plautinum tantum huius voculae usum demonstrare conabor. Sed inde quoque aliquem, quamvis parvum, fructum capi posse atque ad grammaticam latinam augendam aliquid redundaturum spero. Non enim immerito hac aetate in ipso Plautino sermone explorando studia hominum doctorum fervent quam maxime. Cuius poetae scripta, in quibus formae linguae etiam multo integriores magisque dilucidae quam

apud posteriores scriptores extent, ad eas disquirendas maxime videntur idoneae.

Sed tenendum est, Plauti quoque tempore linguam iam valde adultam fuisse (ut ita dicam), neque omnino condicionem tam prosperam esse in Latino quam in Graeco sermone explorando, cum ex antiquis illis temporibus servata carmina Homerica innatum fere huius habitum exhibeant; accedit quod hic omnibus temporibus valde perlucidum sese praebet, cuius rei principalis est causa, quod numquam tam arcta verborum enuntiatorumque coniunctio apud Graecos reperitur, sed singulae orationis partes multo solutiores sunt quam apud Latinos.

Quod ad ipsam rerum tractationem attinet, ne indigneris obsecro, quod omnibus, quantum fieri poterat, exemplis congestis fortasse longus sum. Quod factum est, quo certius fieret iudicium.

Exempla vero ad artem criticam exigenda maximam difficultatem praebebant, quoniam, ut unusquisque scit, Plautinarum fabularum condicio critica nondum ita est comparata, ut in ea acquiescere possis. Quod si in locis ad veram germanamque formam revocandis saepissime peccavi, viribus meis infirmis indulgeas quaeso.

In versibus Plautinis indicandis numeros adscribam, quibus usi sunt Fleckeisenus in Amphitruone, Asinaria, Curculione, Bacchidibus, Captivis, Rudente, Sticho; Ritschelius in Milite glorioso, Menaechmis, Mercatore, Mostellaria, Persa, Pseudulo, Trinummo; Geppertus in Poenulo, Casina, Epidico, Truculento; Wagnerus in Anlularia; Cistellariae versus afferam secundum editionem Gronovio — Ernestianam.

Sed iam ad rem ipsam accedamus.

Quin particula originem ducit ex quei-ne (antiquiore forma) vel qui — ne. Ac satis notum est alteram partem *ne* pristinam esse negationem, cuius multa vestigia aperta omnibus temporibus in lingua latina remanserunt. E duobus autem illis verbis *qui* — *ne* cum per contractionem vel potius enclisim (si dicere licet) unum factum esset, facile extrema illa *e* littera, per se levissima, abici*) poterat per apocopen, quae vocatur, praesertim quod sermo latinus, inprimis vetustissimis illis temporibus, ad verba imminuenda corrumpendaque maxime propensus erat. Accedit quod *quin* voculae usum antiquitus uberrimum fuisse, multoque frequentiorem quam postea, e monumentis constat.

De hac autem re satis clara plura verba ne faciamus; hoc unum liceat adicere, eodem modo e *sive seu* vocem, e *sine sin* e *satine satin* etc. facta esse**).

Sed de priore huius verbi parte explicanda usque adhuc magna dissensio fuit inter viros doctos, cum alii *qui* illud ablativum modo pronominis interrogativi modo relativi, alii, ut Gernhardius, Ussingius Brixiusque, — de quibus post videbimus, — etiam nominativum pronominis relativi nonnullis esse locis statuerent.

Quod vero attinet ad particulam *quin* in enuntiatis seiunctis usurpatam, omnes, quantum equidem sciam, ibi *qui* pro ablativo (proprie instrumentali) pronominis interrogativi, nostra lingua wie? warum? convertendo, habendum esse suo iure inter se consentiunt; *quin* igitur simili est vi ac *cur non?* (warum nicht?), nisi quod inter utrumque verbum interest, ut hoc vera interrogatio, rhetorica illo instituatur vel, — id quod

*) Ceterum *ne* hoc encliticum ipsam suam vim negativam — quae vel gravissime premebatur — retinuit.

**) cf. Ribbeck, Beiträge zur Lehre von den lateinischen Partikeln p. 14.

iam Benderus*) recte intellexit —, ut *quin* vocula cum vi quadam affirmativa sententia efficiatur. Melius *quin* cum vocula, quae est *quidni?* conferri videtur.

Sed haec hactenus!

Iam, ut via ac ratione procedat commentatio, eum usum, qui et simplicior est et facilior ad explicandum, prius absolvamus statimque sub

I.

De quin particula in enuntiatis absolutis posita

agamus. Deinde vero ad hanc particulam in enuntiatis subiunctis usurpatam nos convertemus.

In omnibus autem talibus quaestionibus ita agendum esse videtur, quoniam, id quod iam veteres quidam homines docti, — inter quos honoris causa Apollonium Dyscolum appello —, inprimis autem recentissimi recte iudicarunt, ex enuntiatis seiunctis omnia genera orta sunt; quod ad iudicium comprobandum me quoque hac dissertatione aliquid parvi collaturum esse spero.

A. Non pauci apud Plantum exstant loci, ubi quin cum significatione warum nicht? in enuntiationibus seiunctis usurpatur. Quibus interrogationibus semper aliquid adhortationis vel imperii exprimitur. Iungitur autem *quin* et cum indicativo (id quod longe saepissime fit) et cum coniunctivo primae personae.

---

*) Benderus, »Ueber quin«, Correspondenzblatt für die Gelehrten- und Realschulen, IX., 11, p. 256.

Hic usus cum minime dubius sit et statim intellegatur, numeros tantum locorum huc spectantium ascribam*) exceptis iis, in quibus singulare quid occurrit.

Haec exempla Plautina huc referam.

Stich. 576; 714; 138; 479.

Curc. 84; 94; 183; 251 sq.; 611.

Mil. glor. 426; 446; 751; 1067; 1085; 1087; 1184; 1314.

Bacch. 245; 258; 382; 861; 1049.

As. 30; 253 sq.; 291; 325; 380; 577; 659; 661; 680; 850; 868.

Trinumm. 117 sqq.; 291; 502; 802; 1026.

Capt. 592; 636.

Amph. 775 sq.; 983; 972.

Rud. 122; 236; 518; 586; 767; 841.

Trucul. 678.

Menaech. 561; 638; 660; 747; 912; 916; 917; 1000; 1114.

Merc. 175; 189 sq.; 387; 494; 582; 609; 622; 671; 724; 773: *Quein abeis?* ibid. 778; 894; 895: *Ergo ego quin videam facis?* Ita coniecit Ritschelius. Satis audacter, verum valde probabiliter! cf. autem comm. crit. Ritsch. ibid. 903; 914; 929; 932; 943; 951.

Poen. 362; 599; 961; 1238; 1306: *Quin ádhibuisti, dúm istaec loquere tý́mpanum?* Haec Geppertus commendat, codd. *cur non*, nisi quod palimps. A *qur*. Nec vero Gepperti coniecturam mihi placere infitiari possum. Nam neque codd. scriptura servari potest, quia metrum repugnat, et *quin* cum *cur non* facile confundi potuisse propter scriptionem haud dissimilem apparet. Pers. 144; 437: *Quin das?* Adnotat Ritschelius: nescio an praestet: *Quin da.* ibid. 625; 672;

---

*) Ceterum satis multa exempla apud Holtzium in libro, quem inscripsit »Synt. priscorum scrptt. latt.« p. 314 sq., ad verba expressa invenies.

730; 813 sq. Cas. 11 sqq.; 181; 495; 633: 820. Geppertus legi vult: *Quin id fieri non potest?* Ubi cod. Vet. Lg. praebent *in*, quod ceteri omm.; *quin* Geppertus emendavit. Sed ista lectio neque in usum linguae congruit, quoniam altera negatio in eodem enuntiato cum particula interrogativa *quin* non admittitur, nec sententiam habet tolerabilem. Cum vero ea, quae alii coniecerunt, non magis placeant, equidem hunc locum in dubio relinquo atque lectores ad adnot. crit. Geppertianam allego.

Neque certius quicquam de hoc loco proferre possum: Most. 469: *quin [introimus huc?]*. Ritschelii coniectura haec est audacissima. Sed id quidem viro doctissimo concedo, *quin eloquere* quod libri tradunt e versu 472 irrepsisse.

Most. 343; 572; 614; 1131.

Pseud. 40; 75; 204; 242; 350; 638; 501: *Quin dictumst mihi?* Ita emendavit Ritschelius codicum scripturam, quae est: *cur non dictumst mihi?* Cuius viri doctissimi sententia mihi probatur eisdem de causis, quas supra (pag. 6 fere extr.) ad Poen. v. 1306 exposui.

Pseud. 713; 880; 891; 1049; 1147; 1331; 1183: *Quin tu mulierem mi emitte aut redde argentum.* Sic Ritschelius legi vult. Libri mss. autem produnt: *emittis . . . reddis.* Multo melius igitur quam Ritschelius, ordine tantum verborum inverso, Fleckeisenus videtur scripsisse: *Quin tu emittis mihi mulierem aut reddis argentum?*

Epid. I., 2, 6. Iacobus scribi voluit: *Quin viden', ut omnes inimicos mihi istoc facto repperi?* Sed de Gepperti sententia, qui hunc versum cum duobus insequentibus e textu, qui vocatur, removit, utut iudicaveris, Iacobi scripturam minime comprobari posse statim intelleges. Nam in eodem enuntiato cum interrogativa particula *quin* alteram voculam interrogativam nunquam positam esse, cui ignotum est?

Epid. 295; 465 sq.; 468; 600 sqq.; 668.

In Cist. IV. 2, 46 haec ap. Gronov. leguntur: *haec mulier nostra est, quin operam damus, hera parumper.* Quae tenet V. codex secundum Camerarium. Bothius vacuo spatio relicto ita scribit: *Haec mulier ... amus, hera, parumper.* Ex mea autem sententia, cum aliter sensus tolerabilis non evadat, sic est scribendum: *Haec mulier nostra est. Quin operam damus, hera, parumper?*

B. Deinde in enuntiatis imperantibus vel adhortantibus usurpatam videmus *quin* particulam eadem fere notione, quam habent particulae confirmativae, quae vocantur; nostro autem sermone convertenda est ita fere: fürwahr, doch, um's Himmels willen. Gravior igitur animi commotio eiusmodi sententiis exprimitur.

Quem usum Reisigius*) recte ita exposuit: »Es findet sich auch eine Construction einer Fragepartikel mit dem Imperativ, was freilich nur in zwei Sätzen kann begriffen werden, der Imperativ für sich und die Fragepartikel für sich; das ist die Construction von quin mit dem Imperativ, wo quin zur Aufforderung dient; quin dic, sage es doch, denn quin heisst warum nicht, so dass eigentlich darin liegt: quin vis dicere warum willst du es nicht sagen? (vel simplicius: quin dicis?). So haben die Lateiner etwas Aehnliches mit dem Griechischen *οἶσθ' ὡς ποίησον.*

Quin mit dem Imperativ bildet in der Regel einen Gegensatz gegen das Vorhergehende: warum nicht lieber, oder: sage vielmehr; s. Ter. Phorm. III., 2, 1«, ubi haec leguntur. Ph. *Audi, obsecro.* Do. *Non audio.* Ph. *Parumper.* Do. *Quin omitte me.* Andr. I, 1, 18, quo loco inde a versu 16 haec extant: *Sed hoc mihi molestumst, nam istaec commemoratio*

*) In libro, qui inscribitur »Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft § 279.

quasi exprobratiost immemori benefici. Quin tu uno verbo dic, quid est quod me velis.

Talem ellipsim — et eam certe aptissimam in acri sermone — facile admitti potuisse, similes saepissime adhibitas, quis est qui neget? Nihil igitur agunt, qui cum alios tum Benderum (l. l. p. 256) secuti hanc explicandi rationem reiciunt, cum *quin* eodem modo hic cum imperativo atque alias in enuntiatis interrogantibus cum indicativo coniunctum contendant. Interrogativas vero particulas cum imperativo copulari non posse certe satis constat. Equidem facere non possum, quin Reisigii sententiam meam faciam. Hi autem loci Plautini huc pertinent.

Curc. 241 sq. Pers. 790; 804. Pseud. 1016. Bacch. 276. Trinumm. 584. Rud. 628; 946; 1170. Mil. glor. 951; 1124; 974; 1046. Men. 416. Epid. 228*); 266; 294. Poen. 502; 711. Cas. 505; 623; 817. Aulul. 631.

Merc. 183: *[Quin] abi hinc dicerectus.* Haec Ritschelii scriptura, cum *quin* nullo codice prodatur, valde est dubia, sed felicissime videtur reperta. ibid. 185; 937; 955. Most. 172; 187; 422; 572; 584; 855; 815: *Quin tu i intro: otiose perspecta aedis ut lubet.* Non potest dubium esse, quin Ritschelius quamvis librorum, qui *is* pro *i* praebent, fide neglecta recte ita scripserit.

ibid. 1089: *Quin cita illum in ius.* Dubitanter accipienda ista Ritschelii emendatio, id quod ex ipsius adnot. critica apparet.

C. Atque explicatione eadem qua hic utendum esse, ubi, quin in enuntiatis affirmativis exstat, facillime intellegitur. Quo magis mirandum est, quod Haasius (ad Reisigii scholas) hac cognatione neglecta explicandi rationem arcessitam minimeque aptam adhibet, cum proferat haec (§ 492 p. 576):

---

*) De quo loco vide Ladewig: Zeitschrift f. Alterth. p. 1095, qui dicit per *quin* indignationem exprimi.

»Aus derselben (interrog.) Bedeutung geht die hervor, wonach es (quin) *sogar* heisst mittelst einer natürlichen Abkürzung in lebhafter Rede; zum Grunde liegt dabei folgender Zusammenhang; Wie sollte das genannte Schwächere nicht stattfinden, da sogar das folgende Stärkere stattfindet?«

Equidem non video, cur Haasius*), quanquam sententiam illam Reisigianam paragrapho 279 expositam, quam paullo ante attuli, comprobat, hic ellipsim, quam primo ipso aspectu illius simillimam iudices, sine ulla causa diversissimo modo explicet, cum praesertim *quin* talibus locis eam vim non habeat, ut sententia hac vocula incepta cum ea, quae praecedit, comparetur. Ad hanc enim notionem inferendam *etiam* additur, quod verbum, si Haasium sequeremur, prorsus supervacaneum habendum esset. Immo vero aeque ac supra enuntiatio exempli causa haec: *quin dico* Germanice vertenda videtur: fürwahr ich sage es vel: Natürlich sage ich es; idem enim verbum, quod extat, mente addendum est. Haec igitur sententia subesse videtur: *quin dicam? dico:* Warum sollte ich es nicht sagen? ich sage es (natürlich). Quanquam non est negandum, cum enuntiatum, in quo *quin* inest, valde confirmetur et quasi magna voce pronuntietur, saepe fieri, ut maius quid vel gravius sententia subsequente quam praegressa praebeatur; itaque *quin* simplex Germanice *sogar* convertere nonnullis locis liceat; (cf. nostram voculam, quae est *ja*). Sed hac re ea, quae Haasius de istius usus origine dicit, minime comprobantur.

Manifestior autem res erit, si exemplis ipsis demonstrabimus.

In Pseuduli Plautini versibus 559—560 haec leguntur:

---

*) Atque sequuntur Haasium omnes fere viri grammatici recentiores, velut Ribbeck. l. l. p. 14, Benderus l. l. 257, Wagnerus ad Aulul. v. 297, alii.

Ps. *Set te volo domi usque adesse.* Si *Quin tibi hanc operam dico.* Quae apparet ita vertenda esse: Ps. Ich wünsche, dass du fortwährend zu Hause bist. Si. fürwahr (ja) ich verspreche dir diesen Dienst. Hic certe sententia, quae subsequitur, aliquid maius non exhibet, sed is, qui respondet, *quin* particula addita promissum confirmat; eadem fere vi: »profecto tibi hanc operam dico« vel tale quid dici potuit.

Deinde in Bacchidibus (v. 1137) haec reperiuntur verba: *Quin aetate credo esse mutas:* Wahrhaftig ich glaube..

Asin 729: *Quin nec caput nec pes sermonum apparet.*

Praeterea hos locos huc spectantes apud Plautum inveni:

Asin 114; 237; 321; 377; 513 sq.

Trinumm. 557; 932; 1148; 360.

358 sqq.: Ph. *Quoi tu egestatem tolerare vis? loquere audacter patri. Lu. Lesbonico huic adulescenti, Charmidai filio, qui illic habitat.* Ph. *Quin comedit quod fuit, quod non fuit?*

Huc pertinet Ussingii adnotatio ad Amph. v. 690, ubi haec leguntur: »*Ne* encliticon apud antiquiores Latinos saepe omisso pronomine demonstrativo, cui adhaerere debebat, relativo additur. Fit hoc in continuanda interrogationum aut exclamationum serie« . . . Vir doctus deinde affert multa exempla, inter quae hoc quoque*). Minime recte! Nam hic locus prorsus aliter quam illi est comparatus. Quid? Nonne vides, apocopen *e* litterae explicari non posse, nisi *quin* particulam, de qua hic agimus, non ipsum pronomen, statuimus isto loco extare? Omnibus autem, qui et ab Ussingio et ab Holtzio (l. l. p. 262) sunt propositi plenum *ne* reperies.

Equidem sic convertam (scilicet interrogationis nota post .. *quod non fuit* abiecta): Fürwahr der Mensch hat durchgebracht, was er hatte, und was er nicht hatte, i. e. hat sein Vermögen durchgebracht und dazu noch Schulden gemacht.

*) Neque aliter Brixius explicat (cf. eius ed.).

Capt. 290 sqq.: *Quin etiam* . . . . 557; 589; 643; 644; 856; 975; 990; 1015; 1017.

Pers. 39 sqq.; 484.

Curc. 33; 249.

Stich. 593; 624 sq.

Aulul. 297; 300; 310; 557; 642; 745; 808.

Cist. I., 2, 6 sqq. Qui locus secundum Ritschelium, Parerg. p. 237 adnot., non est germanus (cf. Holtz. l. l.) ibid. II., 1, 33.

Cas. 5 sq.; 94 sq.; 181 sq.; 210 sqq.; 417 sq.; 498 sqq. Quo loco *quin* saepissime repetitur: Alces. *Quin eapse ultro mihi negavit eius operam se morarier.* Stal. *Quin eapse me adlegavit, qui istam arcesserem.* Alces. *Quin nihili facio.* Stal. *Quin me perdis.* Alces. *Quin bene est. Quin etiam diu morabor, quin cupio tibi, quin aliquid aegre faciam, quin faciam lubens. Numquam tibi hodie id quin erit plus quam mihi: Quin hercle te di perdant postremo quidem.*

ibid. 820.

Poen. 148; 561: *Quin etiam* . . . ; 572; 663; 697; 898; 1073; 1345.

Merc. 155; 216; 223; 322; 328; 412; 461; 502; 628; 764; 775, ubi haec leguntur: *Quein me eradicas miserum;* ibid. 935; 968; 1007; 950: *Eho tu quin tu somnias.* Hanc Ritschelii lectionem, cum ab ea, quae libris traditur, valde discedat, dubitanter admitto.

Truc. 326; 422; 501 sq.; 589 sq.; 553: *Quin metuit cubiculum ne mundissimum sit.* Ita scribit Geppertus, prorsus aliter Spengelius. Sed cum tota Truculentus »indomita est belna» tum hic ipse locus adeo mendis squalet atque horret, ut certum quid de eo proferre dubitem.

Amph. 410 sq.; 617; 635 sq.: *Ita dis est placitum, voluptatem ut maeror comes consequatur: Quin incommodi plus malique ilico adsit, boni si obtigit quid.* Haec libri mss. et omnes fere editiones (ut Lindemanniana, Fleckeisen.) tenent.

Ussingius vero sine ulla causa ita mutat: . . *consequatur atque incommodi* . . . . Argumentatio autem, quam ad fulciendam scripturam suam in adnotatione ad hunc locum (v. 631 ap. Uss.) profert, magnopere mihi displicet.

Men. 634; 687 sq.; 806; 892; 894; 1051; 1058: *Quin certissimumst mepte potius fieri servom, quam te umquam emittam manu.* Haec Ritschelius commendat Saracenum secutus, qui *cui*, quod codd. habent, in *quin* commutavit. Emendatio facilis atque, ut videtur, necessaria,

Epid. 113; 226: *Cani quoque etiam ademptum est nomen: quin vocant Laconicum.* Quae Gepperti scriptura satis mihi placet. Sane tam corruptum prodiderunt hunc locum codd., ut certum iudicium de eo ferri nequeat.

ibid. 242 sqq.: *Ibi illa interrogavit illam: qui scis? quis id dixit tibi? | Quia hodie adlatae tabellae sunt ad eam a Stratippocle.* Probabiliter ita Geppertus scribit Bothio assensus; nam *quin*, quod libri exhibent, Ladewigius defendit*), propter metricam rationem sustentari nequit. Ceterum haec commutatio et facillima est et optime ad locum adposita.

Epid. 300 sq.; 386 sq.

Pseud. 295; 549; 664; 742; 795; 1165.

Mil. glor. 66 sq.: Pyrgopol. *Itane aibant tandem?* Artotr. *Quae me ambae obsecraverint, ut te hodie quasi pompam illa praeterducerem.* Ita Ritschelius scribi iubet; cur autem Lorentzius longe plurimorum optimorumque codicum fide neglecta *quin* pro *quae* scripserit, intellegi non potest.

Sed Ritscheliana quoque scriptura propterea non prorsus mihi placet, quod coniunctivum *obsecraverint* posuit. Tu autem

---

*) Ladewigius de hac re disputavit Zeitschrift für Alterth. 1841, p. 1095 sq.

veram lectionem sic restitue: *Quaé me ambae obsecráverunt**). ibid. 301: *Quin etiam* . . .; 330; 508: Ritschelius legi vult: *Quin concubinam erilem insimulare ausus es.* Ista vero emendatio neque necessaria et aequo audacior videtur esse**). Causam enim equidem non video, cur a codicum scriptura recedamus. Ac *quod* C, *quodque* reliqui tenent. Qua de causa ego sic scribam: . . *quod concubinam erilem* . . . . . Si vero totum locum perlegeris, ita etiam membrorum concinnitati optime consuli concedes.

Sagacissima coniectura Ritschelius v. Mil. glor. 367 sic emendavit: *Quin cum alieno adulescentulo dixit.* Neque qui Ritschelii commentarium criticum inspexerit, dubitabit in eius partes discedere.

Mil. glor. 521; 779; 1079; 1124; 1147 sq.: *Quin etiam* . . 1277; 1333; 1386. ibid. 882 ab omnibus editoribus recentioribus recte *quin* e textu, quem vocamus, remotum, *quid* substitutum est (vide adnot. crit. apud Ritschel.).

Most. 456; 599; 764: *Quin aestu audivit esse ibi victum perbonum.* Ita Ritschelius succurrit huic loco, ubi in codicibus maximae reperiuntur turbae.

Most. 824; 910; 954; 1084.

Postremo loco liceat mihi monere A. Fleckeisenum, virum Plautinissimum, quem recte dixit Ritschelius, in opusculo quod inscripsit Krit. Miscellen***) p. 28 sqq. satis superque fidem fecisse, omnibus illis locis, quibus etiam Ritschelius *hercle quin, ecastor quin, edepol quin* retinuit, germanam esse scripturam *qui.* Neque aliter Rud. 760 *atqui* pro *atquin* ponendum videtur; cf. Ribbeck l. l. p. 21.

---

*) De *e* vocalis correptione in terminatione, quae est — *erunt,* apud Plautum saepe admissa cf. Neuium II., 391 sq.

**) Fleckeisenus cum Ritschelio nonnisi dubitanter consentit, *quin* enim inclusit uncis.

***) Programm des Vitzthumschen Gymn. in Dresden, 1864.

Pergimus ad

II.

Quin particulam cum modo coniunctivo in enuntiatis subiunctis copulatam.

Ac virorum doctorum, qui antea versati sunt in hac quaestione, sententias maxime inter se diversas illustrare debemus, priusquam nostrum iudicium proferamus.

Quod autem ad antiquiores viros grammaticos attinet, omnino nihil ad *quin* particulae propriam innatamque vim accuratius explorandam contulerunt, cum vel prorsus eam non respicerent vel in levissimis explicationibus acquiescerent. Plerumque, quomodo haec vocula usurpata esset a scriptoribus classicis, quos dicimus, nudis aridisque verbis docebant, ad rationes rerum, ut solebant, non penetrantes. Haasius (in annotationibus illis quas iam supra commemoravi) unus ea, qua par est, diligentia de hac materie disseruisse videtur. Quare quae hic vir doctissimus censuerit, quam accuratissime examinemus. Neque inutile videtur eius ipsa verba hic adponere, ut ea statim ante oculos habeas ac, quid in quoque loco recensendo mihi velim, facilius appareat.

Haec igitur vir doctus (l. l. § 492 p. 575) scripsit:

»Weder hier (apud Reisigium) noch bei einem andern mir bekannten Grammatiker finde ich den Gebrauch von quin genügend erörtert und auf seine Gründe zurückgeführt. Schon die Alten fanden dies sehr schwierig, und es gab darüber eine Untersuchung des P. Nigidius Figulus, die sehr gründlich gewesen zu sein scheint; s. Gell. XVII, 13. Ohne mich auf die abweichenden Ansichten einzulassen, möchte ich die folgende Dar-

stellung als Grundlage einer weiteren Ausführung betrachten. Quin ist nicht aus dem Nominativ qui entstanden, wie Gernhard Opusc. p. 19 noch immer festhält ohne Gründe gegen Billroth § 327 u. A., sondern aus dem alten Ablativ qui verbunden mit der Negation«.

Subsistendum hic paullisper videtur cum ista Gernhardi sententia ab aliis hominibus doctis recentioribus retineatur.

Billrothiano illo igitur loco — quo isti plane redarguuntur — haec extant: »Quin ist aus qui wie, dem alten Ablativ von qui, quae, quod, und der Negation 'n zusammengezogen. Nemo est quin sciat: Niemand ist so, dass er es nicht wissen sollte. Hier ist nicht etwa quin aus qui (welcher) und non zusammengezogen: welcher nicht wissen sollte, so dass qui (welcher) Subject wäre: das Subject *er* liegt vielmehr in sciat. Dass das Letztere der Fall ist, leuchtet am besten aus dem Beispiele ein: Cleanthes negat ullum cibum esse tam gravem, quin is die et nocte concoquatur. (Cic. N. D. 29, 24*).

Daher kommt es denn auch, dass quin nicht für cuius non, cui non etc. stehen kann, weil wol im Verbum das Subject (wie is oben in sciat), nicht aber ein Casus obliquus liegen kann. Nur zuweilen kann ein Object (eum, eam, id) sich von selbst verstehen.«

Sed revertamur ad Haasium (p. 575):

«Zwei der Ableitung nach verschiedene quin anzunehmen, wie Hartung, über die Casus p. 227 thut, ist weder etymologisch wahrscheinlich noch syntactisch nothwendig.«

*) Praeterea equidem haec exempla Ciceroniana adiciam: *Quis in circum maximum venit, quin is unoquoque gradu de avaritia tua commoneretur?* (Verr. I., 59).

Nihil est, quod sensum habeat, quin id intereat (Cic. N. D. III., 13); multa vero alia eiusmodi extant neque apud classicae tantum aetatis scriptores.

Ceterum conferas Benderi illam commentationem, quae inscripta est, »Ueber quin«, p. 258 sq.

Atqui vir doctus non recte intellexisse videtur Hartungii verba, quae haec sunt: »Ausser dem d ist ferner das n in dieser (paragog.) Function gebräuchlich, denn für alioqui und ceteroqui wird auch alioquin und ceteroquin gesagt und für atqui — atquin. Es gibt ein doppeltes quin, eines für qui — ni (?) und ein anderes in welchem das n blos ephelkystisch ist. Auffallend ist, dass man das letztere von dem ersteren bis jetzt noch *nicht* unterschieden hat.«

Quibus e verbis satis apparere puto Hartungium nisi in his verbis, quae ipse affert: alioquin, ceteroquin, atquin *n* literam paragogicam non ducere, neque iniuria*). De ipsa autem particula *quin*, de qua hic agitur, tale quid ne cogitari quidem potest; quomodo enim significatio eius explicanda esset?

In hac vero re recte sensisse Haasius videtur, quod duplici origine *quin* voculam ortam esse negavit, — quamvis eum non satis consentaneum sibi esse putem. Ita enim pergit: »Da qui *theils* interrogativ theils relativ ist, so ist dies auch quin.«

Quid vero? Nonne in his verbis duplex derivatio inest? Mihi quidem videtur. Nam quo tempore *quin* particula orta est, quid inter vocem interrogativam et relativam interesset, homines Latinos sensisse nemo erit, qui infitietur. Praeterea autem istam explicandi rationem non modo non necessariam, sed etiam minime tolerabilem esse iis, quae sequuntur, studebo uberius demonstrare.

In pag. 576. postquam *quin* verbi in enuntiatis liberis usum, — ubi quidem origine eam esse interrogativa statuit, — attigit paucis, Haasius rem his verbis persequitur:

»Als Relativum wird quin gebraucht in den Fällen, um welche es sich hier eigentlich handelt. Zunächst entsteht die Frage, warum es nur mit vorhergehender Negation gebraucht

*) cf. Ribbeck l. l. p. 19 sqq.

werden könne, was, wenn es einfach für qui, quae, quod non stände oder mit quominus gleichbedeutend wäre wie R (eisig) oben annimmt, sich nicht erklären liesse. Zu quominus verhält es sich gerade so wie das objective ut *so dass* zu dem subjectiven *damit*. Wie jenes bildet es einen Adverbialsatz, dessen Inhalt, vermöge der relativischen Verbindung, dem des vorhergehenden wesentlich inhärirt, so dass die in jenem ausgesagte Existenz hierdurch ihrem vollständigen Begriffe nach geleugnet wird, wobei festzuhalten, dass die Negation mit quin innig verbunden ist und nicht für sich genommen werden darf.«

Sed statim hic liccat mihi id monere, recentissimis quaestionibus constare, talem enuntiatorum coniunctionem sive periodum non, ut Haasius et plerique priorum, hoc quoque tempore nonnulli viri grammatici opinantur, eo ortam esse, quod singulis sententiae primariae partibus enuntiata accuratius fusiusque exsequentia vel explicantia adiuncta essent. Ita potius haec res erat comparata, ut singulae enuntiationes initio liberae essent, paullatim vero, cum lingua, inprimis per litteras, magis excoleretur, hypotactica, quae dicitur, ratione et ea magis logica quasi coaescerent inter se.

Deinde apud Haasium haec sequuntur: »Indem nun aber quin den Conjunctiv regiert, drückt es genau genommen, eben wie das objective ut, das in dem Adverbialsatze gegebene Prädicat nicht als ein wirkliches, sondern als ein blos angenommenes mögliches aus: soll demnach das so angenommene Prädicat ein in der mit dem vorhergehenden Satze ausgesagten Existenz inhärirendes sein, so kann auch diese keine wirkliche oder als wirkliche angenommene sein, weil dann auch jedes ihr inhärirende Prädicat eben so wirklich sein müsste, folglich kann sie nur eine negirte sein. Mithin ist eine Negation vor quin durchaus nothwendig.«

Negatio autem ante quin extet, quod Haasius statuit necesse esse, id non satis recte se habet; conferas enim tales locutiones; *mirum quin*, *paene factum est quin* etc., de quibus infra fusius agemus; repudationem potius aliquam dicendum erat necessario autecedere. Praeterea a viro docto non satis expeditur, cur apud verba dubitandi, prohibendi, similia, quae ipsa instructa sunt negativo sensu, non ponatur *quin*, nisi negatio iis addatur. Aliquanto rectius de hac re disputavit Weissenbornius in Iahnii annal. philol. 1848 vol. 5'', sect. 3, p. 298. Ego vero duplicem negationem vel potius repudiationem (liceat mihi hoc verbo uti) in sententia primaria infuisse initio, infra docere conabor.

Haasius deinde haec scribit: »Wir können die Bedeutung *so wie nicht*, welche die ursprüngliche ist, nicht in einem Worte zusammenfassen, welches zugleich die Nothwendigkeit des folgenden Conjunctivs ausdrückte; am deutlichsten und entsprechendsten wird es sein, wenn wir quin umschreiben durch: »so dass damit nicht verbunden sein sollte dies oder jenes Prädicat«. Quod idem brevius exprimere possumus ita fere: ohne dass damit verbunden wäre vel — ut Haasii ipsius versione utar, quae in pag. 582 legitur — ohne dass zugleich.

In pag. 577 sic pergitur ab Hassio: »Die sämmtlichen Fälle, in denen quin steht, zerfallen in zwei Hauptclassen, je nachdem entweder 1) unmittelbar oder 2) mittelbar die Verbindung des quin mit dem Vorhergehenden elliptisch ist. 1) Bei der unmittelbaren Verbindung finden wieder zwei Arten statt, nämlich: A) es wird bei einer einfachen positiven Behauptung, Beschreibung u. s. w. die ganz allgemeine Ausdehnung derselben durch den Gegensatz der beiden Negationen bewerkstelligt, indem man von einer ganzen Gattung leugnet, dass darin etwas von der Art existire, dass nicht ein gewisses Praedicat daran hafte.«

Atque vero iste homo doctus, cum supra (pag. 573 fere media) *quin* coniunctione dixerit enuntiatum adverbiale — ut

hoc verbo utar — incipi, quo quod praedicatum esset sententiae primariae inhaereret, statim in hoc primo usus genere tractando illam explicandi rationem deserit, cum enuntiationem subsecutivam cum n o m i n e non, ut debebat, cum v e r b o coniungat.

Atqui ne hanc quidem obtinere potest rationem et ad alteram illam quasi refugit: paulo enim post haec scripta reperimus: »Etwas anders ist der Fall (equidem hic toto genere diversum quoddam occurrere existimo), wenn die vorhergehende Negation nicht eine so allgemeine Ausdehnung hat, dass sie jedes Individuum einer ganzen Gattung trifft, sondern wenn sie nur auf etwas Einzelnes geht; dann entsteht blos der Sinn, dass etwas nicht sei oder gewesen sei, ohne dass etwas anderes zugleich sei oder gewesen sei, wobei man nicht sagen kann, die Verbindung der beiden Prädicate fände jedes Mahl statt.

Mirifice inter se pugnant Haasii verba. Certe si alterum praedicatum alteri inhaeret, alterum sine altero non potest evenire. Atque exemplorum, quae ipse affert, pauca spectemus, ut minime admittendam esse eius sententiam luce clarius fiat.

In Terent. Adelph. III., 1, 7 (vide Haas. p. 577 fere extr.) haec invenies: *Numquam unum intermittit diem quin semper veniat.* Quae, si Haasium sequimur, ita fere vertere debemus: Niemals lässt er einen Tag (zwischen seinem Kommen) verstreichen, ohne dass (mit diesem Verstreichenlassen eines Tages) verbunden wäre, dass er immer kommt; sive ita: . . . . ohne dass er zugeich immer kommt.

Quae hoc enuntiato praedicantur, ea mirifice sibi repugnare luce clarius est. Idem valet in hunc locum: Ter. Phorm. IV., 4, 16: *Nihil apud me tibi defieri patiar, quin quod opus sit, benigne praebeatur.* Qui locus secundum Haasium sic fere interpretandus est: Niemals werde ich es dir bei mir an etwas mangeln lassen, ohne dass (mit diesem Mangelnlassen)

verbunden sein sollte, dass dir alles, was du nöthig hast, freundlich geboten wird.

Plaut. Amph. V., 1, 2; *Neque ulla est confidentia iam meo in corde, quin amiserim:* Und es ist kein Vertrauen mehr in meinem Herzen, ohne dass (mit diesem Vorhandensein) verbunden wäre, dass ich es verloren habe.

Nec vero minus perversa sententia evadit hac ratione in eis exemplis, in quibus adverbio demonstrativo praecedente praemonstratur enuntiatum, quod subsequitur quin vocula inceptum. Conferas enim haec; *Numquam adeo astutus fui, quin quicquid possem, mallem auferre potius in praesentia.* Haec, quibus Haasiana sententia placet, iis ita convertenda sunt: Niemals bin ich so schlau gewesen (non intellegitur: wie schlau), ohne dass (mit diesem So-schlau-sein) verbunden gewesen wäre, dass ich .... Quo pacto manifestum est eiusmodi locorum sensum plane corrumpi. De innumeris vero exemplis idem est dicendum. Sed haec hactenus.

Videamus iam de iis, quae sub B. protulit: »Die Verbindung kann ferner von der Art sein, dass das durch quin angeknüpfte negative Prädicat ein beabsichtigtes ist, so dass darin die durch prohibere, impedire, obstare u. s. w. ausgedrückte Absicht enthalten ist; da aber in diesen Verbis eben nur die Absicht liegt, die Bemühung, etwas Negatives herbeizuführen, nicht die factische Verneinung selbst, so kann quin nur darauf folgen, wenn sie noch mit einer Negation verbunden sind. Ferner ist zu beachten, dass quin nicht von ihnen in der Weise abhängt, dass es wie ne die negative Absicht ausdrückte, sondern es hat auch hier die obige Bedeutung, so dass nur bezeichnet wird, das Hinderniss sei nicht von der Art, dass nicht das doch geschehe, was gehindert werden sollte.«

Contra quam expositionem haud pauca proferri possunt. Primum enim eo tota res pervertitur, quod Haasius ita explicat: »das Hinderniss sei nicht von der Art, dass nicht doch geschehe«. Nam, id quod paulo ante dixerat ipse, in sententia primaria non de obstaculo, sed de voluntate aliquid negativi efficiendi agitur. Quo ex errore factum est, ut vir doctus in disponenda dissertatione valde peccaverit. Etenim huius ratio plane eadem est atque eius qui sub 2) tractatur, — de quo postea videbimus.

Enuntiato igitur e gr. hoc: *Non prohibeo amicum, quin id faciat* non exprimitur, amicum id facere, sed id tantum, me non studere efficere, ne faciat sive: per me licere amico id facere, cum, utrum faciat necne, in dubio relinquatur. Itaque etiam ea, quae sequuntur apud Haasium, falsa sunt iudicanda: »Hierbei kann freilich auch wie in dem ersteren Falle eine ganz allgemeine Affirmation entstehen: jedesmal wenn ich ihn hinderte, ging er; da aber die Absicht gewöhnlich nur auf einen einzelnen Fall gerichtet ist, so beschränkt sich auch die Affirmation hierauf, woraus der Sinn entsteht: ich liess es geschehen, dass . . . . oder: ich musste es geschehen lassen, das Hindern war ohne Erfolg.«

Neque igitur mirum est, quod vir doctus ista ratione multa exempla sese interpretari non posse ipse intellegit; quae quamvis optima tradita sint, ut corrupta emendanda esse censet.

Dicit enim haec: »Einen positiven Ausdruck zu setzen statt des negativen des Hinderns ist meines Wissens ohne Beispiel. Non enim faciam quin scias bei Plaut. Mil. gl. II. 3, 2 ed. Lindemann, könnte nur heissen: ich werde es nicht thun ohne dein Wissen, was nicht passt; in älteren Ausgaben steht non faciam enim quin scias; es möchte daher zu lesen sein: non faciam enim qui nescias«. Sed hic locus, quales complures traditi sunt*), — de quibus postea copiosius videbimus — etiam

*) cf. etiam ea exempla, quae a Weissenbornio l. l. allata sunt e posterioribus scriptoribus.

a recentioribus editoribus suo jure integer est servatus. Atque optimam sententiam inde erui posse infra apparebit. Ceterum Frid. Ritschelius ad hunc locum (v. 283 suae ed.) adnotat: »*nescias* repugnante metro Haasius in Reisig. schol. gramm. p. 580 sq.«

Haasius pergit: »Der Ausdruck des Claudius Quadrigarius: paene factum est quin castra relinquerent atque cederent hosti, schien schon dem Gellius XVII, 13 unerklärlich«.

Praeterea hunc Quadrigarii locum, quem dicit obscurissimum, Gellius ibi proponit: *Romam venit; vix superat, quin triumphus decernatur.* Quae res quamquam huc non pertinet, tamen id commemorabo, haec exempla non difficilia ad explicandum mihi quidem videri; nam in priore illo, quod inest *paene factum est* fere idem significat *ac non multum aberat*, in hoc *superat* pari est vi ac *repellit adversariorum sentias* vel tale aliquid. Quomodo vero eiusmodi usus sit ortus, iis, quae postea exponam, apertum fore spero. Convertenda sunt illa exempla Claudiana sic fere: »Beinahe wäre es geschehen, dass sie das Lager verliessen,« et: »Er kommt nach Rom; kaum setzt er es durch, dass ihm ein Triumph zuerkannt wird«.

Sed ad Haasium redeamus: »Bei dem Auctor B. G. VIII., 19: Nulla calamitate victus Correus excedere proelio silvasque petere aut invitantibus nostris ad deditionem adduci poterat, quin fortissime proeliando cogeret elatos iracundia victores in se tela coniicere; hier hängt das quin nicht von adduci ab, das seine Beziehung im Vorhergehenden hat, sondern es setzt vielmehr alles Vorhergehende als einen Begriff voraus, in diesem Sinne: Es konnten keine Versuche gemacht werden, ihn zur Ergebung zu bringen, ohne dass er dessungeachtet fortfuhr zu kämpfen«.

Ita vero notio infertur, quae minime inest in hoc enuntiato; quod enim Haasius dicit »Versuche machen«, id hic nusquam reperio. Immo Haasio, si quidem sibi constare volebat, locus ita erat vertendus: Er konnte nicht zur

Ergebung gebracht werden, ohne dass er zugleich fortfuhr zu kämpfen; id quod videlicet absurdissime dictum esset.

Deinde in annotationibus Haasianis haec leguntur; »Vergl. Plaut. Mil. glor. IV, 57: *Triduum servire numquam te quin liber sis sinam* . . . . . , wo ebensowenig quin für ne steht, sondern es ist einfach für *ohne dass* zu nehmen.« Sed quae sententia ita comparatur: Ich werde dich keines Falls drei Tage Sclave sein lassen, ohne dass du (zugleich) frei bist!

Praeterea liceat mihi uno verbo id monere, exempla male esse disposita a viro docto; nam, id quod et ipse concedit, hic et alias affert, quae sub littera A ponenda erant.

In pag. 581 fere med. haec extant: »Allerdings aber ist, wie bei quominus, so auch bei quin der Gebrauch des Tacitus etwas abweichend; auch wo es regelmässig steht, bildet es oft damit eine Epexegese, wie in der Stelle des Auctor B. G. VIII, 19, so dass sich der Satz in einen durch *vielmehr* coordinirten verwandeln lässt und also auch quin mit dem Indicativ stehen könnte. Vielleicht wirkte hier eine Vermischung des doppelten Gebrauchs von quin mit, wo nämlich eine vorhergehende Negation auf das quin mit dem Coniunctiv hinleitete«.

Quod Haasius hic locum illum e B. G. VIII, 19 depromptum plane aliter ac paullo ante explicare vult, id silentio praetereamus. Attamen in iis, quae postremo exposuit, iusto audacius egisse videtur. Nam valde est dubitandum, num tale quid fieri potuerit. Et ille quidem ipse inter *quin* particulae in enuntiatis liberis et dependentibus positae vim permagnum statuit intercedere discrimen.

Ita autem pergit: »So z. B. Annal. XV, 44: Sed non ope humana, largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. Ganz entsprechend, nur durch Anwendung der Frage äusserlich etwas

verschieden, ist die Stelle Annal. IV, 11: Quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius, tantis rebus exercitus inaudito filio exitium offerret, idque sua manu ex nullo ad poenitendum regressu, quin potius ministrum veneni excruciaret, auctorem exquireret, insita denique etiam in extraneos cunctatione et mora adversum unicum et nullius ante flagitii compertum uteretur? Hier hat Becker eine durchaus nicht taciteische Satzbildung angenommen, indem er das Fragezeichen vor quin setzt und dann nach uteretur ein Punctum, so dass quin . . . uteretur gleichsam die Antwort auf die vorhergehende Frage bildet; die Analogie der angeführten Stelle zeigt zur Genüge, dass die früher angenommene Construction die richtige ist. Aehnlich sagt schon Sall. Cat. 53, 6: Quos silentio praeterire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores aperirem. Cato de R. R. 38: »Ignem caveto ne intermittas, quin semper siet.«

Quae tota Haasii expositio haud parvi, ni fallor, est momenti ad eius ipsius sententiam repellendam. Ac tales locos spectans magnopere miror, quod viri grammatici ad concipiendam rectam de *quin* voculae origine sententiam non pervenerunt. Enimvero omnes explicandi rationes, quae adhuc initae sunt, nimis artificiosas minime sufficere, quis non concedet? Sane equidem, quia parum inquisivi in usum Taciteum et Sallustianum, certum de illis locis iudicium ferre non possum. Sed verisimile quidem videtur esse, ibi vestigia extare multo antiquioris consuetudinis quasi repetita.

Ceterum p. 582 exeunte Haasius suam sententiam destituere aliquantulumque ad meam accedere cogitur; ibi haec enim dicit: »Der Begriff der Nothwendigkeit wird ausgedrückt durch das Leugnen eines Grundes zum Nichtsein in der Redensart nulla causa est quin, welcher Fall sich von dem vorigen dadurch unterscheidet, dass quin hier noch wie als Fragewort den Sinn eines Ablativs hat«.

Iam properemus ad finem huius recensionis. Atque in pag. 583 Annotationum haec scripta sunt:

»Eine mittelbare elliptische Verbindung des quin mit dem Vorhergehenden ist anzunehmen bei non dubito quin und den ähnlichen Ausdrücken. Das dubito nämlich drückt eine subjective Wahrnehmung (rectius: Anschauung vel Stimmung) aus, und es ist offenbar, dass wenn diese durch ein ihr inhärirendes Prädicat bestimmt werden soll, wie durch quin geschieht, dies Prädicat nicht das Object der Wahrnehmung, sondern nur eine Modification derselben sein kann. Wenn nun gleichwohl auf quin das Object der Wahrnehmung folgt, so tritt hier der Fall ein, dass mittels einer Abkürzung der Darstellung das Factum selbst gesetzt wird, statt dass die Verbindung hätte sollen durch ein Verbum der subjectiven Wahrnehmung vermittelt werden; non dubito quin verum sit ist demnach so zu denken: ich zweifle nicht, so dass es nicht nach meiner Meinung wahr sein sollte: non dubito quin verum esse statuam.«

Qua eadem, ut iam dixi, explicandi ratione, si quidem sibi constare volebat, uti debebat, cum de verbis prohibendi etc. ageret. Sed comprobandam eam*) esse minime puto. Nam ellipses, nisi maxime necessarias facilesque ad tolerandum atque cognoscendum, non esse statuendas hodie inter omnes constat. Quod in hunc quidem usum minime cadit.

Paullo post vir doctus haec scripsit: »Zur Bestätigung dieser Ansicht möge besonders dienen die Stelle Plaut. Mil. glor. II, 3, 61: Me homo nemo deterruerit quin ea sit in his aedibus, wo man das quin übersetzen könnte: als ob nicht; eigentlich aber ist zu denken: quin credam eam esse in his aedibus«.

Sed hic ipse locus non ad confirmandam, sed potius ad refutandam eius sententiam valere mihi videtur. Nam nemo erit, qui ex verbo deterrendi mente addat *credam*.

---

*) Neque aliter atque Haasius Reisigius de hac re sensit, sane non tam aperte eam exposuit. cf. ipsarum Reisigii scholarum p. 573.

Omittamus, quae praeterea Haasio obici possunt — ut de locutione, quae est *non* ... *quin*, et ea non facili ad explicandum, ne verbum quidem factum esse, alia. Enimvero Haasianam sententiam minime probari posse satis manifestum iudico.

Atque ab Haasii partibus stare videtur Holtzius*). Hic videlicet sententiam suam non accuratius explanavit.

Simillimam vero sententiam Ribbeckius (Beiträge p. 14) exhibet. Qui aliquanto rectius egisse videtur eo, quod *quin* coniunctionis vim ita circumscribit, ut dicat enuntiationem regentem ab ea, quae subiuncta est, separari non posse, ista particula significari. Magnopere igitur doleo, quod vir doctissimus, quid sentiat, non illustrat clarius. Ceterum quin particulam a pronomine relativo minime derivandam esse et iam supra ante oculos posuisse mihi videor et iis, quae de mea ipsius sententia proferam, etiam manifestius fore spero.

Rationem ab his prorsus diversam, non vero minus perversam Benderus iniit commentatione illa, quam saepius commemoravimus. Cuius explicationem levissimam ac, quantum mihi quidem videtur, valde ineptam tribus verbis perstringamus.

Iudicat enim, *quin* particulam cum ab ablativo pronominis interrogativi, quasi uno fonte, originem trahere optimo iure censeat, enuntiationes dependentes, quae ab ea initium faciunt, interrogationes esse, quas dicimus obliquas. Sed qui vel primoribus labris hanc rem attigerit, statim intelleget in nullum fere locum Benderianam sententiam quadrare. Quid enim? Num haec iure dici potest explicatio, quod scribit l. l. p. 258: »Ter. Phorm. IV, 4, 16: Nihil est quin male narrando possit depravarier. Kann man sich die Sache nicht so denken: nichts ist — von solcher Beschaffenheit — warum es nicht sollte — verderbt werden können; p. 259 sq.:

---

*) cf. Synt. priscc. scriptt. latt. p. 314.

Cic. Fam. IV, 7: etsi eo te consilio usum intellego, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipse dissentiam, sed quod etc., ich wage dich nicht zu tadeln, aber nicht aus Rücksichten, Gründen, warum ich nicht anderer Meinung sein sollte, sondern der Grund ist der, dass u. s. w., p. 261 fere extr: Non dubito, non est dubium quin heisst eigentlich: ich bin nicht im Zweifel, in Ungewissheit, warum nicht sollte«.

Sed haec hactenus.

Ex iis, quae adhuc disputata sunt, elucere mihi videtur universos viros grammaticos, qui hucusque in investigandam *quin* particulae veram ac quasi nativam vim operam contulerunt, valde a rei veritate aberrasse. Nam aut ab una origine hanc voculam repetere conati usum, qualis memoria traditur, explicare non potuerunt, aut utrumque — et origo et usus — eos fefellit. Neque mirum videri potest tam multum peccatum esse in hac re quaerenda et propter eius ipsius difficultatem et propter viam, quam institerunt viri docti, perversam. Etenim per se patet vel in vetustissimis latinitatis monumentis, quae nobis supersunt, nedum in multo posterioribus, primigeniam linguae naturam ante oculos versari non esse opinandum. Nam, id quod supra monui, multis illis saeculis, per quae ante Plautina tempora sine ullo literarum usu viguerat ea, certe magnopere immutata ac corrupta erat.

Quare qui historicam, quae vocatur, rationem ingredi sibi proposuerit, eum non quae servata sunt tantum respicere oportet, sed his quasi firmo fundamento nixum diligenter ac subtiliter ratiocinando coniectandoque studere ad originaria pervenire. Ita igitur nos quoque in hac re proposita agamus, cum praesertim et ex ipsa *quin* voculae forma satis contrita (quoniam ex qucine paullatim facta est) et ex maximo exemplorum — eorumque diversissimorum — numero, qui apud Plautum reperitur, *quin* antiquissimis temporibus uberrimo in usu fuisse videamus, nosque appareat minime cognitam habere totam huius

particulae historiam (si dicere licet). Neque minus quam formam vim eius commutatam esse certe consentaneum est.

Si igitur *quin*, quod necessarium videtur, ab una origine derivare animum induxerimus, interrogativi pronominis ablativum eam complexam ab origine warum nicht? singnificasse, ut nemo non concedet, declarandum nobis est. Atque omnes difficultates, quae grammaticis adhuc obstabant, optime ita tolluntur; nam haec explicatio simplicissima et per se placet maxime et cum apud universos scriptores vetustiores tum apud Plautum poetam prisci usus restant permulta vestigia, (sane nihil nisi vestigia, ut mox videbimus). Consideres enim tales locos:

Nil iam mihi novi offerri pote, quin sim peritus. (Plaut. Pers. 270 sq.)

Nam peculi probam nihil habere addecet clam virum, et quae habet, partum eei haud commode est, quin viro aut subtrahat aut stupro invenerit. (Plaut. Cas. 96 sqq.)

Set quasi lippo oculo me erus meus manus abstinere hau quit tamen, quin mi imperet, quin me suis negotiis praefulciat. (Plaut. Pers 11 sq.)

Nam hoc haud dubiumst, quin Chremes tibi non det gnatam. (Terent. Adelph. 391 sq. ed. Fleckeisen.)

Ignem caveto ne intermittas, quin semper siet. (Cato. de R. R. XXXVIII, 2, in Scriptt. rei rust. ed. Gesneriana.)

Neque satis habuit, quod eam in occulto vitiaverat, quin eius famam prostitueret. (Cat. Origg. rell. p. 10. 1 in ed. Jordan.)

At contra nulli de nulla parte neque ullo tempore inane potest vacuum subsistere rei, quin sua quod natura petit, concedere pergat. (Lucret. D. R. N. II, 235 sqq. ed. Munron.).

Nec devitari letum pote, quin obeamus (ibid. III, 1079.).

Multi autem similes extant loci, quos omnes hic enumerare supersedeo. Quid? Nonne primo ipso aspectu incitamur, ut e gr. primum illud exemplum Plautinum hoc pacto convertamus:

Nichts Neues kann mir mehr geboten werden, denn warum sollte ich es nicht schon kennen? vel: denn natürlich kenne ich es schon; et sic in reliquis. Nam, si quibus aliis locis, certe his primigeniae paratacticae, quae dicitur, enuntiatorum conformationis vestigia sunt conspicua. Ad originariam vero *quin* particulae vim investigandam plus inde quam ex aliis exemplis plane hypotactico modo conformatis erui posse nemo, opinor, negabit. Etenim, ut etiam atque etiam id commonefaciam, initio paratacticam rationem obtinuisse inter viros grammaticos constat. Talia autem multo plura quam attuli exempla cum servata sint, et cum haec testimonia et ea, quae de nativa huius voculae vi ratiocinati sumus, tam miro modo inter se conveniant, nihil obstare apparet, quominus hoc modo istum usum ad unam rationem referamus. Ut igitur breviter comprehendam, hanc condicionem fuisse originariam ego concludo:

Enuntiatio primaria initio absolute posita ipsa sibi sufficiebat neque ad sententiam complendam enuntiati subiuncti indigebat; id enim, quod subsequebatur, nihil nisi causas afferebat. Illius vero sensus ut affirmativus efficeretur, non unam, sed duas repudiationes, quae invicem tese tollerent, principio infuisse existimandum est. Nam tales periodos (ut hoc verbo utar) semper cum vi quadam affirmatas esse nemo ignorat. Quod autem posteriore aetate enuntiatio praegressa saepe unam tantum repudiationem exhibet, scilicet quia altera enuntiatione subiuncta infertur, inde non est coniciendum de antiquissima conformatione, e qua sententia primaria sola per se eodem fere munere fungebatur, quo postea tota periodus. Enuntiatione subsecutiva, quae aliquem coniunctivum (dubitativum) complexa a *quin* voce initium faciebat, quibusnam rationibus repudiata illa repudiatio comprobaretur, negativo sensu quaerebatur.

Atque, ut haec illustrem, ad exemplum ex Plautina Persa

assumptum redeo: *Nil iam mihi novi offerri pote, quin sim peritus.* Statim, ni fallor, vides sententiam praecedentem plenam esse et tali fere periodo respondere Ciceronianae: *Nihil iam mihi offerri potest, quin noverim.* Repudiationem igitur repudiatam in *novi* inesse ex iis, quae disserui, intellexeris. In huiusmodi vero usu *quin* voculam vel maxime suo loco fuisse, quis est qui non videat? Qua aliquid summa vi affirmari contendique supra iam expositum est.

Sed in hac, quam expedivimus, loquendi consuetudine nimiam quandam abundantiam ubertatemque, ne dicam loquacitat m, infuisse facile est ad intelligendum. Ceterum hoc in sermone vulgari, inprimis Italorum, de quibus etiam nostra aetate cognitum habemus, non mirum videbitur. Paullatim vero, praecipue cultiore aetate, hae dicendi ambages molestae visae, quantum fieri poterat, tollebantur. Itaque in enuntiatis primariis nonnullae notiones, plerumque etiam principales, omittebantur, quoniam sententiae a *quin* verbo orsae in causis expediendis ad easdem redibant, ita ut, quid loquentes sibi vellent, satis apertum fieret. Prisca igitur parataxis (sit venia verbo) paullatim enuntiatorum coniunctioni cedebat arctiori, simulque proprius huius particulae sensus in dies magis evanescebat*), cum ad simplicem coniungentis voculae notionem transiret; quae commutatio facilius fieri poterat, quia sermo nondum litteris erat defixus. Itaque enuntiatio a *quin* verbo orsa, quasi ex ipsa sua indole nihil nisi sententiam primariam definiret vel compleret, mox dependentis specie induebatur. Quid vero? Nonne in plurimis linguis analogias inveniri scimus? — ut ex ipso latino sermone particulae *ne*, e graeco eius quae est *μή* structuram commemorem.

---

*) cf. Ribbeck l. l. p. 20 fere extr., qui voculam *quin* iam vetustissima aetate non plane intellectam fuisse et ipse censet.

Praeterea autem cogitari potest, etiam formam huius voculae, relativae haud dissimilem, ad eius nativam vim oblivioni dandam aliquid contulisse.

Atque iam apud Plautum hanc commutationem perfectam videmus, quod primum ex ipsis Plautinis exemplis apertum fit, ubi rationem valere hypotacticam et consecutio temporum, quae vocatur, accurate observata testimonio est (paucissimos locos quibus haec lex laesa est, infra denotabo), neque minus quod enuntiata, quae antecedunt, dependentium — ut supplementorum — plerumque indigent. Praeterea sententiae a *quin* voce incipientes saepissime regentibus ita sunt intercalatae, ut unam enuntiationem, unum quasi corpus, efficere videantur.

Quis enim erit, qui priscae membrorum seiunctionis vestigia talibus e gr. locis agnoscat:

Virgo atque mulier nulla erit quin sit mala, quae reticet, si quid fieri perverse videt. (Pers. 367 sq.).

Nullust Ephesi quin sciat (Bacch. 336.).

Si cades non cades quin cadam tecum (Most. 329.).

Contineri, quin complectar, non queo. (Menaechm. 1034.).

Sed nuptias hodie quin faciamus, numquae causa est? (Anl. 259 sq.) [Fusius postea de exemplis huc referendis agemus].

Ergo cum uniuscuiusque usus generis talia exempla non pauca extent, primigeniam huius particulae significationem etiam a Plauto sensam esse cogitari nequit. Ita enim, credo, res non erat comparata, ut uno loco *quin warum nicht?* significans sententiam liberam, altero simillima ratione formato eadem vocula prorsus alia vi ornata connecteret subiunctum enuntiatum.

Neque locus ille Gellianus (N. A. XVII, 13) qui supra in Haasiana sententia recensenda commemoratus est, in hac quaestione disceptanda parvi est momenti. Quo loco haec extant: »Hanc vero (quin) particulam, de qua dicimus nisi quis didicerit compositam copulatamque esse neque vim tantum coniungendi

habere, sed certa quadam significatione factam, umquam profecto rationes ac varietates istius comprehensurus est. Quod quia longioris dissertationis est, poterit cui otium est, reperire hoc in P. Nigidii Figuli commentariis, quos grammaticos inscripsit.« Iam Nigidius Figulus igitur, qui vir doctissimus clarissimusque M. Terenti Varronis aequalis erat, commentatione de hac particula conscripta longiore hominibus Latinis propiam eius notionem in memoriam revocare opus esse existimavit. Nec vero Varroniana aetate *quin* particulae usus — quod ad hanc quidem quaestionem attinet — a Plautino satis diversus erat. Nam etiam apud Lucretium haud pauca extant exempla, quae primum obtuens paratactica ratione conformata putare possis*). Quid? Nonne ex illa sententia (quae certe P. Nigidio ipsi est attribuenda): »Hanc vero particulam . . . comprehensurus est« conicere licet, illum quoque virum doctum voculam *quin* initio interrogativa vi fuisse, deinde sensim in simplicem coniunctionem conversam censuisse, ergo a nostris partibus stetisse? Quod mihi quidem aequo audacius non videtur.

Nec vero, postquam haec exposui, quin equidem illa exempla, quae ex antiquissimis scriptoribus deprompta priscae consuetudinis illustrandae causa supra attuli, re vera aliter et hypotactico quidem modo explicanda censeam, quisquam dubitabit. Nam, ut etiam atque etiam id moneam: quibus temporibus latinae litterae florere coeperunt, libera illa enuntiatorum coordinatio perierat.

Apud Plautum autem exempla inveniri tam diversam speciem prae se ferentia inde explicandum existimo, quod in huius poetae comoediis sermo vulgaris ante oculos est, qui propter litterarum usus inopiam ad certam formam pervenire non potuerat; unde factum est, ut vetustissimae aetatis reliquiae consuetudini immiscerentur multo recentiori atque excultiori; sed

*) cf. huius commentationis p. 29.

originarius propriusque talium quasi torpidarum structurarum sensus iam tum non erat vividus. In universum autem fieri solet, ut certarum regularum imperium litteris demum instituatur.

Apud Plautum igitur, — ut ea, quae investigavimus, in unum colligam —, enuntiatorum rationem ita commutatam videmus, ut id, quod *quin* voce incipitur, non seiunctum liberumque sit, sed hac ipsa particula arctissime cum enuntiatione praegressa coniungatur ac tamquam conglutinetur. Quo sententiarum complexu semper aliquid affirmativi exprimi iam commemoravimus.

Ceterum, quid particula *quin* inde a Plautinis temporibus, quorum sunt vetustissimae latinae litterae nobis servatae, valuerit, certius definiri non posse mihi videtur quam hoc pacto: Aliquid, quod enuntiationi primariae inhaeret vel propria intimaque natura cum ea conhaeret, adnectere istam vel potius in unam eandemque sententiam cum illa redigere. Intra hos vero terminos *quin* voculae usus quasi vagatur inque diversissimas partes discedit; id quod statim in exemplis ipsis disquirendis uberius explanabitur. Nec minime ex varia nostra conversione id apertum fit, quae scilicet numquam satis accurate huius particulae propriam notionem reddit.

Videamus iam de ipsis exemplis Plautinis. Quae in duo genera primaria erant digerenda: A) quod est eorum, in quibus sententia regens unam tantum repudiationem retinuit, *quin* igitur negativo modo in nostrum sermonem convertitur (altera illa repudiatio, quae in sententia primaria antiquitus exstabat, supervacanea facta per arctiorem enuntiatorum contractionem omittebatur), B) eorum, ubi enuntiatio, quae praecedit, utramque repudiationem servavit. Nostri homines hic *quin* affirmativo modo dass vel zu (infinitivo addito) vel similiter reddunt.

Inter quae duo genera hoc quoque interest, ut in illo quidem sententiae antecedenti praedicativa aliqua vel attributiva notio

addi soleat enuntiato, quod subsequitur, in hoc genere, quo actio sententia primaria expressa spectet vel pertineat, enuntiatio subsecutiva denotet. In hoc igitur enuntiatio subiuncta obiecti sive propioris sive remotioris, quod dicunt, munere fere fungitur. Quam rem infra disertius expediemus.

Praeterea eos locos, ubi veteris coordinationis (Graeci quam parataxim vocant) reliquiae satis luculenter apparent, segregatos sub littera α) anteposui reliquis, qui sub β) subsequuntur.

Sane negari nequit singulorum generum fines atque limites non potuisse satis accurate constitui et quasi circumscribi, cum, — id quod iam antea monitum est, — firmarum legum satis immunis sit sermo vulgaris, ideo omnia nimis vaga sint transeantque inter se.

A.

Quin post simplicem negationem (rectius repudiationem) cum coniunctivo in enuntiatis subiunctis positum.

Latissime patet hic usus apud Plautum; verum per temporum continuitatem maxime imminuebatur atque decrescebat. Itaque classica, quae dicitur, aetate locutiones quae sunt *non* . . . . *quin* (nicht . . . als ob nicht) *nemo*, *nullus est quin*, *numquam* . . . . *quin* fere solae supersunt, quas huc referas.

Aliae enim structurae, velut *qui non*, *quae non*, *quod non*, *ut non* etc., successerunt, quae etsi simile quid, non tamen prorsus idem exprimunt. Optime autem, quod inter utramque loquendi rationem intercedit discrimen, ad differentiae iudiciorum analyticorum et syntheticorum, quae Kantius statuit, similitudinem referri videtur. Nam enuntiato a *quin* vocula

orso aliquid, quod ipsa sententia praegressa continetur vel implicite in ea latet, explicatur fusius vel expeditur, aliis illis constructionibus aliquid affertur, quod multo laxius cum sententia primaria cohaeret. [Atque hac in re quod fortasse longus sum, propter rei gravitatem difficultatemque ignoscas, quaeso.]

Postea igitur, id quod fieri solet, lingua nativas distinctiones oblita plerumque illae structurae promiscue in usum sunt vocatae. Animadverte autem e. gr. hunc locum Lucretianum (II, 1026 sqq.): *Sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primum difficilis magis ad credendum constet itemque nil adeo magnum neque tam mirabile quicquam, quod non paullatim mittant mirarier omnes.*

Haec in universam.

Aggrediamur iam ad ipsa exempla perlustranda.

α) Pers. 270 sq.: *Nil iam mihi novi offerri pote quin sim peritus.* Qui locus sic convertendus mihi videtur: Nichts Neues — das ich nicht schon kännte — kann mir mehr geboten werden. Sententiam subsecutivam hic nihil nisi *novi*, quod in ipsa enuntiatione primaria inest, explicare quis non videt? Prorsus aliam vim haberet enuntiatum *ut non* vel *quod non* locutionibus inceptum.

Curc. 208 sq.: *Ita me Venus amet, ut ego te numquam sinam in domo esse istac, quin te liberalem liberem:* Dich noch in diesem Hause bleiben lassen — so dass ich dich nicht frei machen sollte — das werde ich auf keinen Fall thun.

Stich. 756: *Numquam edepol med istoc vinces, quin ego ibidem pruriam.* ibid. 185 sqq: *Veni illo ad cenam: sic face: promitte vero: . . . volo, inquam fieri: non amittam, quin eas.*

Mil. glor. 1182: *Atque ubi illo veneris, triduom servire numquam te sinam quin liber sis* (cf. paullo ante!)

Pseud. 853 sq.: *An tu coquitatum te ire quoquam postulas, quin ibi constrictis ungulis coenam coquas?* Haec interrogatio negativo est sensu.

Asin. 420 sqq.: *Apscede ac sine me hunc perdere, qui semper me ira incendit, quoi numquam rem me unam licet praecipere semel furi, quin centiens eadem imperem atque oggänniam.* Ita Fleckeisenus. Sed de collocatione verborum equidem cum Ussingio consentio, qui sic scribit: .... *quoi numquam unam rem me licet semel praecipere furi* ...; cf. autem adnot., quam exhibet Ussingius in ed. sua.

Cas. 98 sqq.: *Nam peculi probam nihil habere addecet clam virum et quae habet, partum eei haud commode est, quin viro aut subtrahat aut stupro invenerit.*

Most. 146 sq.: *Atque edepol ita tigna haec umide putent, non videor mihi sarcire posse aedis meas, quin totae perpetuae ruant* *).

Amph. 238 sq.: *In fugam set tamen nemo convortitur nec recedit loco, quin statim rem gerat.* Hic quoque Ussingii scripturam praetulerim, qui ita collocat: *Sed fugam in sic tamen nemo convortitur nec recedit* ... Quam sententiam comprobat vir doctus in commentario (ad v. 234 sq. ed. Ussing.).

ibid. 400: *Certe edepol tu me alienabis numquam quin noster siem.* »alineabis i. e. alienum facies, quod plerumque venditione fit« Ussingius adnotat.

ibid. 1053 sq.: *Spes, atque opes vitae meae iacent sepultae in pectore neque ullast confidentia iam in meo corde quin amisserim.*

---

*) Insequentem versum Ritschelius ita emendat: *cum fúndamento périerint nec quísquam esse auxilió queat.* Optime! Nam *quin cum,* quod libri commendant, propter metricam rationem servare non possumus. Atque coniecturae Hermannianae, quae est *quin fundamento perierint* ... longe praefero Ritschelianam. Etenim *quin fundamento perierint nec quisquam* ... *queat* satis inconcinne dictum esset. Quare enim poeta apud alterum membrum repeteret *quin,* non apud tertium? Deinde quid significaret *fundamento perire* illud? Praeterea verisimilius videtur, *quin* per errorem librarii, cui prius illud *quin* in mente versabatur, in textum irrepsisse.

ibid. 887 sqq.: *Neque me perpetiar probri falso insimulatum, quin ego illum aut deseram aut faciat satis ille atque adiuret insuper.*

Trucul. 143: *An tu bene reris publicum aut amores alia lege habere posse postulas, quin otiosus fias?* Ita Geppertus. Sed multo propius ad codicum memoriam Spengelius accedit, qui sic scribi vult: *An tu te Veneris publicum aut Amoris alia lege habere* . . . . . . Cuius sententiam quam maxime equidem comprobo. (vide adn. Spengel. ad I, 2, 39—40.).

Trucul. 529: *Poenitétne te quot mi áncillae siént* | , *quin etiam ínsuper tu addúcas, quae mihí comedint cibúm?* Haec commendat Geppertus, Spengelius prorsus alia metrica ratione constituta: *Poénitetne té quot ancillás alam* | , *qui étiam alienas súperadducas, quáe mihi comedínt cibum?* Sed hic locus tam dubius est, ut ego certum de eo iudicium ferre non audeam. Forsitan autem haec lectio magis placeat: *Poénitetne té quot ancillàs alam* | , *Quín et tu mi insúper adducas quàe mihi comedínt cibum?* Quamquam non nescio, num *et* hoc in usu Plauto fuerit, ut particulae *etiam* partibus fungeretur, valde dubitari posse; de qua re cf. Balbachii dissertationem, quam inscripsit Grammatica Plautina, spec. primum: De particulis copulativis p. 7 sqq.; et Lachmanni adnot. ad Lucret. p. 389 sq. Ceterum lectores ad Gepperti et Spengeli adnotationes criticas, quas illi loco adposuerunt, reiecisse satis habeo.

Trucul. 895: *Numquam hoc uno die efficiatur opus, quin opus semper siet.*

Aulul. 111 sq.: *Nam non est verisimile hominem pauperem pauxillum parvi facere, quin nummum petat.*

ibid. 129 sqq.: *Ita aequomst, quod in rem esse utrique arbitremur, et mihi te et tibi me consulere et monere neque occultum id haberi neque metu mussari, quin participem pariter ego te et tu me ut facias.*

Ita codices et omnes fere editiones*). Quid vero? Num hic locus sic scriptus explicari potest? Mihi quidem non videtur. Nam quod Haasius (adnott. p. 578) *ut* per pleonasmum, qui dicitur, *quin* illi additum arbitratur, id mihi minime placet. Etenim cum id discrimen satis magnum inter *quin* et *ut non* intercedit, ut illud multo arctius enuntiata inter se coniungat, tum certe, — ne hoc gravius premanus —, non *ut* simplex pro *ut non* hic extare debebat.

Praeterea autem Herwigius in dissertatione, quam conscripsit de particularum coniunctione quae est *μὴ οὐ* (Marburgi MDCCCLXXV) ubi in transitu levissime *quin* voculae usum attigit, disputavit de isto loco. Qui postquam cognationem, quae inter Graecas particulas *μὴ οὐ* et Latinam *quin* intercedat, denotavit paucis, p. 16 sq. haec exponit: »Si dicimus: facere non possum quin te castigem, hoc idem est ac facere non possum quomodo te non castigem? (germanice: wie sollte ich dich nicht züchtigen? quod idem est ac: ich muss dich durchaus züchtigen). Apparet in latino quoque sermone haec enuntiata laxius connexa esse et particula *quin* graviorem affirmationem exprimi. Quam sententiam contra plurimorum hominum doctorum placita acriter pugnare mihi haud ignotum est; sed cum hic locus non sit meam opinionem fusius exponere, unum Plauti locum afferre satis habeo, qui luculenter docet affirmativam, non negativam esse particulae quin significationem. Extat in Plauti Aulularia (per errorem librarii in textum irrepsit *Asinaria)* II, 1, 11: ita aequumst . . . . *quin* participem pariter ego te et tu me *ut* facias. Quomodo enim poeta particulam *ut* addere poterat, nisi verbo quin affirmativam notionem tribuebat?« Nimirum de voculae *quin* origine viro docto equidem plane assentior. Non vero placet mihi, quod sententiam liberam ea

---

*) Holtzius (Synt. pr. scr. lat. II, p. 177 adnotat ad h. l.: ubi, quemadmodum recte dicit Goellerus *ut* abundat.

adnexam esse vel omnibus latinitatis temporibus putare videtur. Talem enim opinionem falsam esse mihi videor antea satis superque fidem fecisse.

Deinde vero Herwigius non explanavit, quomodo *ut* isto Aulularíae loco esset explicandum. Nam ex *quin* verbi definitione, quam et ipse paulo ante exhibuit, *ut* in hoc enuntiatum minime convenit.

Dicat vero quispiam, ante *ut* interpungendum esse, ut haec fere evadat sententia: . . . dass du es ja thust! i. e. mich in Kenntniss setzest. At talis abrupta dictio in hunc locum non quadrat. Neque omnino scio, num hic *ut* verbi usus Plauti sit.

Bothius ad meam sententiam propius accessit, a codicum fide videlicet nimis recessit, cum *ut* prorsus omitteret.

Atque equidem sic scripsisse poetam conicio: . . . *quin participem pariter ego te et tu med facias. med* autem et *me vt* facile confundi potuisse, quis est qui neget? Atque eo facilius ad hunc errorem librarius adductus esse videtur, quod *et tu* verba proxime praecedunt *ut* voculae simillima. De forma quae est *med* cf. Ritschelii Opusc. II, 340 sq. et eiusdem librum, qui inscribitur Neue Plautin. Excurse p. 32 sq. Ubi vir praeclarissimus accusativi formam *med* etiam a Plauto saepe in usum vocatum esse luculenter edocet, sane verisimile putat solum hiatus evitandi causa id factum esse. Id quod equidem non comprobo. Nam hanc formam non minus ante consonantes quam ante vocales in usu fuisse cum Ritschelius ipse gravissima afferat testimonia, cur eam non restituamus hoc loco, ubi vel maxime ad id impellimur?

Inter haec autem exempla paratacticam speciem praebentia etiam ea, quae sequuntur, referenda arbitror, quamquam vetustissima conformationis ratio non adeo clare quam ex illis elucet, quae adhuc tractavimus.

Asin. 944: *Neque quisquamst tam ingenio duro nec tam firmo pectore, quin ubi quicque occasionis sit, sibi faciat bene.*

Nos quoque paratactico modo dicere possumus: Niemand ist von so festem Charakter; denn warum sollte er nicht . . .? Demonstratur autem aliquid, quod in mente versatur et quod fusius explanare supersedemus. Atque huiusmodi dicendi rationem, quippe quae in acri sermone commoda esset, etiam hominibus Latinis usus fuisse frequentissimi verisimile puto. Verum cum subordinatio, quam vocamus, valere inciperet, huius rei condicio sic est commutata, ut enuntiatio subsecutiva iam ad vocem illam demonstrativam referri atque inde pendere videretur. Nos autem istis locis *quin* so dass nicht plerumque convertimus.

Sed pergamus exempla huc spectantia afferre.

Capt. 406 sqq.: *Haec pater quando sciet, ut fueris animatus erga suum filium atque se, numquam erit tam avarus, quin te gratus emittat manu.*

Curc. 284 sqq.: *Nec quisquam sit tam opulentus . . . . nec cum tanta gloria, quin cadat, quin capite sistat in via de semita.*

Mil. glor. 741 sq.: *Nam hospes nullus tam in amici hospitium devorti potest quin ubi triduom ibi continuom fuerit, iam odiosus siet.*

Pers. 690: *Nil mihi tam parvist quin me id pigeat perdere.*

Aulul. 783: *Qui homo culpam admisit in se nullus est tam parvi preti, quin purget se.* Ita equidem codices et Gronovium secutus scribam. Nam cur Bothius et Wagnerus librorum mss. fide neglecta *quin* prius illud in *quom* commutent, causam non video.

Neque minus huc pertinent haec duo exempla, e quibus prisca membrorum coordinatio aliquantum appareat: Pers. 557: *Nam numquam quisquam meorum maiorum fuit, quin parasitando paverint ventris suos.* Ubi et consecutio temporum neglecta et adhibiti numeri diversi sunt respiciendi.

Amph. 158: *Nec quisquam sit quin me omnes dignum esse deputent.* Congruentiam numerorum, quae vocatur, neglectam animadvertas.

Transimus iam ad β) ea exempla, in quibus ne vestigium quidem restat priscae illius membrorum seiunctionis. Haec sunt:

Stich. 208: *Nam curiosus nemost quin sit malevolus.*

Pers. 365 sq.: *Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala, quae praeter sapiet quam placet parentibus.*

ibid. 367 sq.: *Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala, quae reticet si quid fieri perverse videt.*

Bacch. 336: *Nullust Ephesi quin sciat.* 1012: *Nihil est illorum, quin ego illi dixerim.*

Most. 329: *Si cades, non cades, quin cadam tecum.*

Trinumm. 533 sq.: *Neque umqaam quisquamst, quoius ille ager fuerit, quin pessume ei res vorterit.*

Cist. I, 1, 18: *Nec nisi disciplina apud te fuit quicquam ibi, quin mihi placeret.*

Epid. 422 sq.: *Cave ne praeterbitas ullas aedes, quin roges, senex ubi habitat Periphanes Periplecomenus.*

As. 305: *Nec dependes nec propendes quin malus nequamque sis.*

ibid. 674 Fleckeisenus legi vult: *Et si hoc (argentum) meum esset, hodie numquam morarem, quin darem.* Quam scripturam e malis codicibus assumsit iste vir doctus. Rectius Ussingius: . . . . *hodie numquam me orares quin darem,* i. e. non frustra me orares; de qua re vide adnot. Ussingianam. Conferas autem ipsum locum, qui insequitur:

Menaechm. 1100: *Promeruisti, ut ne quid ores, quod velis, quin impetres.*

Aulul. 470: *Iam hunc non ausim praeterire quin consistam et conloquar.*

Mil. glor. 1249 sq.: *Durare nequeo quin intro eam.*

Curc. 178: *Enimvero nequeo durare quin ego erum accussem meum.*

Amph. 308: *Non feret quin vapulet.*

In Vidulariae fragm. II.*) postquam Dinia promisit se Nicodemo, quam petiverat minam, eam daturum esse, non vero faenori, hic respondet v. 31 sqq.: *Di tibi illum faxint filium salvom tuum, qúm mihi, qui vivam, copiam inopi facis*; *sed quin accedat faenus id non postulo:* aber ich verlange das nicht, — dass du mir Geld leihest nämlich —, ohne dass du Zinsen nimmst.

Deinde autem duae locutiones hic sunt tractandae, et illae satis magni momenti. Ac prior quidem est *non . . . quin* ut nostra lingua utar: nicht . . , als ob nicht. Quae locutio apud Plautum uno loco sub *α*) ponendo reperitur**): Trinumm. 341: *Non eo haec dico quin, quae tu vis, ego velim et faciam lubens.*

Altera vero apud Plautum solum occurrit, atque ea satis frequens. Quae locutio (*mirum quin* . . . dico) unoquoque loco ironice est dicta. E gr. *Mirum quin tibi ergo crederem* = *non est mirum quod tibi non credo* (Pers. 3, 28; cf. Holtzium l. l. p. 179). Conferas Duentzer. ad Liv. Andron. fr. Aiac. p. 39, ubi haec extant: »Est haec indignantis formula et ironiae inservit. Cf. Parei lex. Plaut. et Forcell. v. mirus«; Rostii comment. Plaut. p. 177 sq.; Ussing. adnotationem ad Plaut. Amphitr. v. 743 etc.

---

*) cf. Studemundi comment. de Vidul. Plaut. in indic. schol. Gryphiswald. 1870/71 p. 18 sq.

**) Praeterea hoc unum exemplum inveni in tota latinitate vetustiore: Cat. origg. rell. p. 16, 9 ed. Jordan: *Haut eos eo postremum scribo, quin populi et boni et strenui sient.*

Etiam hic *quin* particulae originaria vis quamvis satis obscurata tamen adhuc cognosci potest. Quod statim apparebit, si ita explicabis: Wunderbar! denn warum sollte nicht . . .?

Praeter illum e Persa depromptum hi loci Plautini huc pertinent:

Trinumm. 495: *Mirum quin illo tecum divitias feras.*

967: *Mirum quin ab avo eius aut proavo acciperem, qui sunt mortui.*

Amph. 750: *Mirum quin te advorsus dicat.*

Rud. 1391 sq.: *Nempe pro meo iure oras.* Dae. *Mirum quin tuum ius meo periculo abs te expetam.*

Pers. 389 sq.: *Mirum quin regis Philippi causa aut Attali te potius vendam quam mea, quae sis mea.*

Merc. 204: *Mirum quin me subigitaret.*

Cist. III, 2, 67: *Mirum quin grex venalium in cistella infuerit una.*

Aulul. 85 sq.: *Mirum quin tua nunc me causa faciat Iuppiter Philippum regem aut Darium.*

Most. 493: *Mirum quin vigilanti diceret. Quin* hic primus scripsit Pylades optimo iure, cum *qui*, quod codices praebent, non habeat sensum.

Pers. 441 sqq.: *Fortasse metuis in manum concredere? Nimirum citius iam a foro argentarii abeunt, quam in cursu rotula circumvortitur.* Probabiliter isto loco foede corrupto Ritschelius ita scribit. Minime vero *mirum quin* illud, quod a nonnullis commendatur, hic sustineri posse iam Rostius diserte docuit (l. l. p. 177 sq.).

B.

Quin particula post duplicem repudiationem cum modo coniunctivo in enuntiatis subiunctis posita.

1) Atque primi quidem huc spectant ii loci, ubi in sententia primaria verbum sentiendi vel declarandi (negativa scil vi instructum) occurrit. A Plauto verbum dubitandi fere solum ita usurpatur; cui cum ea locutione, de qua postremo egimus (*mirum quin* . . . dico) aliquantum intercedere similitudinis facile apparet. Posterioribus vero temporibus hic usus mirifice amplificatus est. Haec autem exempla extant apud Plautum:

α) Poen. 181 sq.: *Quid tu dubitas quin extempulo tibi dupli, auri et hominis, fur leno siet?*

ihid. 871 sq.: *Quid ergo dubitas quin lubenter tuo ero meus, quod possit facere, faciat male, eius merito?*

Aulul. 162: *Quid dubitas quin sit paratum nomen puero Posthumus?*

Quod omnibus istis locis interrogativa totius periodi forma extat, id ad habitum paratacticum (si ita rem exprimere licet) augendum aliquantum videtur valere.

Praeterea huc refero: Amph. 508: *Si istaec vera sunt, divinitus non metuo, quin meae uxori latae suppetiae sient.* Recte adnotat Ussingius (ad v. 1122): »Ceterum *non metuo* est idem fere ac *non dubito*, unde *quin* additur«; deinde: Capt. 525: *Omnis res palamst perspicue neque de hac re negotiumst, quin male occidam oppetamque pestem eri vicem malam.* cf. Georg. lex. sub v. negotium, ubi sic convertitur: Es leidet keinen Zweifel, ich komme um.

Iam me convertam 2) ad ea exempla, in quibus *quin* a verbo agendi vel appetendi (scil. negativo) pendet. Ac cum post verba dubitandi etc. enuntiatio *quin* voce adnexa obiectum propius, quod dicimus, afferre soleat, — scil. eam rem, de qua dubitatur —, hic ea remotius significat obiectum, — qua re aliquis prohibeatur etc. —.

Huc spectant verba prohibendi, abstinendi, deterrendi, depellendi, morandi, reprimendi, desistendi, similia.

α) Pers. 11 sq.: *Set quasi lippo oculo me erus meus manum abstinere hau quit tamen, quin mi imperet, quin me suis negotiis praefulciat*: die Hand von mir zu lassen, — so dass er mich nicht mit der Leitung seiner Geschäfte betrauen sollte —, ist meinem Herrn unmöglich.

Amph. 1051 sq.: *Neque di omnes id prohibebunt, si volent, quin sic faciam uti constitui.*

Mil. glor. 332: *Me homo nemo deterruerit, quin ea sit in his aedibus.*

369 sq.: *Numquam hercle deterrebor, quin viderim id quod viderim.*

1368: *Vix reprimor quin te manere iubeam.*

Cas. 348 sq.: *Ita me di bene ament ut ego vix reprimo labra, ob istanc rem quin te deosculer.*

Trinumm. 639 sq.: *Seio ego et sentio, ipse quid agam, neque mens officio migrat nec tuis depellar dictis, quin rumori serviam.*

Bacch. 340: *Immo en tantisper numquam te morabitur, quin habeas illut, quo die illuc veneris.*

Curc. 33 sq.: *Nemo hinc prohibet nec votat, quin quod palamst venale, si argentumst, emas.*

β) Rud. 229: *Neque si vivit eam viva umquam quin (vivam) inveniam desistam.*

1172: *Contineri, quin complectar, non queo.*

Cas. 136: *Vix teneor, miser, quin, quae decent te, dicam.*

641: *Retineri nequeo, quin dicam ea, quae promeres.*

Asin. 355: *Argentum non morabor quin feras.*

Bacch. 2 og sq.: *Non tantulum umquam intermittit tempus, quin eum nominet.*

915: *Si est, abstinere quin attingas non queas.*

Aulul. 606 sq.: *Nunc lavabo, ut rem divinam faciam, ne affinem morer, quin ubi arcessat me, meam filiam extemplo ducat domum.*

Menaech. 253: *Verumtamen nequeo contineri quin loquar.*

1124: *Contineri quin complectar non queo.*

1146: *Numquid me morare, quin ego liber, ut iusti, siem?* Quae Ritschelii scriptura, quamquam a libris paulum recedit, valde mihi placet.

Merc. 1020 sq.: *Neu quisquam posthac prohibeto adulescentem filium, quin amet et scortum ducat.*

Curc. 164: *Adsum: nam si apsim haud recussem, quin mihi male sit.*

227 sq.: *Tormento non retineri potuit ferreo, quin se reciperet huc essum ad praesepem suam.*

Amph. 559 sq.: *Tamen quin loquar haec, ut facta sunt hic, numquam ullo modo me potes deterrere.*

Ad hunc usum haec quoque exempla sunt referenda, quae apertam quidem unam tantum repudiationem in enuntiatione praegressa exhibent, verum ita, ut verbum vel locutio regens, cuius notio satis incerta vagaque sit, negativi certiore ambitu instructi verbi loco sit posita. Ac si ea, quae supra de totius usus origine exposuimus, animadverteris, facile tales locos intelleges.

Primum quidem de locutione, quae est *nulla causa est quin*, similibus quaeramus: β) Cas. 832: *Nulla causa est quin pendentem verberes:* Es ist kein Grund dagegen vorhanden, dass du ihn peitschest, vel: Es ist kein Grund vorhanden, weshalb du nicht . . .

In voce *causa* igitur notionem prohibitivam latere censeo. Proprie autem haec fere sententia suberat: Es ist kein Grund dagegen vorhanden; denn warum solltest du nicht . . . . ?

Most. 434 sq.: *Hau causast, ilico quod nunc voluisti facere, quin facias mihi.*

Trinumm. 1188: *Numquid caussaest quin uxorem cras domum ducam?*

Capt. 353 sq.: *Numquae causast, quin si ille huc non redeat, viginti minas mihi des pro illo?*

625 sq.: *Hoc si secus reperies, nullam causam dico, quin mihi et parentum et libertatis apud te deliquio siet.*

Amph. 852: *Numquid causam dicis, quin te hoc multem matrimonio?* Ubi (v.845) Ussing. adnotat: »*causam, excusationem*; cf. Capt. 618: *Nullam causam dico quin* . . .« Sed haec explicatio parum accurata videtur esse. Nam sic potius interpretandum est: Gibst du etwas als Grund dagegen an, dass ich . . .?

Rud. 758: *Quid causaest quin virgis te usque ad saturitatem sauciem?*

1397: *Gratiam habeo et de talento nulla causast quin feras quod isti sum iuratus.*

Aulul. 259 sq.: *Sed nuptias hodie quin faciamus numquae causa est?*

748 sq.: *Ergo quia sum tangere ausus, haud causificor quin eam ego habeam potissimum.*

Pseud. 535 sq.: *Sed si id non faxis, numquid causaest, ilico quin te in pistrinum condum?*

Truc. 230 sq.: *Numquam amatoris meretricem oportet causam noscere, quin, ubi nil det, pro infrequente eum mittat militia domum.* Sic Goell. et Both. atque eos secutus Geppertus *). Ac Lipsius recte huius loci sensum ita reddit: Numquam debet

*) Olim vulgo legebatur mittas pro mittat.

meretrix audire amatorem caussas afferentem, quare, si non largiatur, non debeat eum eicere et domum remittere, ut militem infrequentem«.

Similiter comparata est ea locutio, qua discessuri nonnumquam utuntur apud poetas comicos: *numquid (me) vis quin (abeam)?* quam sic interpretandam censeo: Willst du noch etwas von mir, weshalb ich nicht weggehen kann? vel: . . was mich verhindert wegzugehen? Apud Plautum ea invenitur: Amph. 970: *Numquid vis quin abeam intro, ut apparentur quibus opust?* Ussingius adnotat: Numquid vis quin, i. e. quo minus.

Cist. I, 1, 119: *Numquid me vis, intro quin eam?*

Deinde hi loci sunt afferendi: Cas. 606 sqq.: *Tribus non conduci possim libertatibus, quin ego hodie illis comparem magnum malum quinque hanc omnem rem meae herae iam faciam palam* « In verbo conducendi notio latet prohibendi; item in exemplo, quod statim sequitur, res se habet:

Men. 418 sq.: *Numquam me edepol quisquam exorabit, quin tuae uxori rem omnem iam, ut sit gesta, eloquar:* Niemand wird mich durch Bitten abhalten, die ganze Sache zu erzählen.

Asin. 25 sq.: *Ita obstinate adgressu's, ut non audeam profecto percontanti quin promam omnia.*

ibid. 104 sq.: *Est atque non est mihi in manu, Megaronides: quin dicant non est; merito ut ne dicant, id est:* . . . dass sie es nicht sagen, habe ich nicht in der Hand (zu verhindern); gravissima autem affirmatio hic suo loco est neque alia particula pariter ac *quin* efficeretur.

Trinumm. 729 sq.: *Ut mihi rem narras, Callicles, nullo modo potest fieri prorsus quin dos detur virgini:* Es kann nicht umgangen, nicht unterlassen werden, man kann nicht umhin, zu . . .; initio vero ita fere cogitabatur: Das kann

nicht geschehen (scil.: dass die Mitgift nicht gegeben wird), denn warum sollte sie nicht gegeben werden?

Longe plurimis locis *facere* vel *fieri* omittebatur: Trinumm. 705: *Non enim possum quin exclamem: euge, euge, Lusiteles.*

Bacch. 559: *Video non potesse quin tibi eius nomen eloquar.*

Mil. glor. 262 sq.: *Nam ille non potuit quin sermone suo aliquem familiarium participaverit de amica eri.* Consecutio temporum neglecta.

Trucul. 549: *Satin' si quis amat nequit quin nihili siet atque improbis artibus se expoliat?*

Pers. 612: *Hau possum quin huic operam dem hospiti.*

824 sq.: *Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum.*

Stich. 302: *Non enim possum, quin revortar, quin loquar, quin edissertem eramque ex maerore eximam, bene facta maiorum meum ex augeam atque illam augeam insperato opportuno bono.*

Mil. glor. 603: *Neque potest quin si inimicis usuist opsit tibi.*

693: *Tum piatricem clementer non potest, quin munerem.*

1342: *Nequeo quin fleam.*

Atque his, ut lac lacti, par est horum locorum condicio: Mil. glor. 283: *Non enim faciam quin scias:* Ich werde das nicht geschehen lassen, dass du nicht darum wissen solltest; auf jeden Fall wirst du darum wissen; ut originem illustrem: Ich werde das nicht thun (scil. dich in Unkenntniss lassen), denn warum solltest du es nicht wissen? Enuntiatum igitur, quod est *quin scias, faciendi* vim explicat. Ceterum cf. supra p. 22 sq.

ibid. 473 sq.: *Set numquam quisquam faciet, quin germana sit ista soror huius.*

Amph. 399: *Tu me vivos hodie numquam facies, quin sim Sosia.* Ussingius (ad v. 394) explicat: »quamdiu vivis, num-

quam in vita tua efficies, ne ego Sosia sim«. Ac recte mihi videtur haec dixisse.

Stich. 754: *Numquam enim hodie fiet, haec quin saltet tamen.*

Praeterea equidem huc referendum puto locum, qui exstat Mil. glor. 1125 sq., ubi omnes edd., quantum ego quidem sciam, sic scribunt: *Istuc cave faxis. Quin potius per gratiam bonam abeat abste.* Secundum quam interpunctionem ita fere erit vertendum: fürwahr sie mag lieber . . . von dir gehen. Sed apud Plautum quidem *quin* hac notione cum tertia coniunctivi singularis persona numquam copulatum reperitur. Equidem igitur sic interpungam: *Istuc cave faxis, quin potius per gratiam bonam abeat abste,* atque ad similitudinem locorum, quos postremo attuli, referam. Quam sententiam, cum per se pateat, fusius exponere supersedeo. Hoc vero loco vel maxime apertum fit, quantum paratactica enuntiatorum conformandorum ratio etiam apud Plautum valuerit.

Haasius autem in isto usu explicando etiam eo magnopere videtur peccasse, quod p. 582 ita disputavit: »Hier (in locutionibus, quae sunt *facere non possum*, *fieri non potest*, *quin* . . .) ist nicht etwa das facere und fieri so zu nehmen, als würde es negativ durch das folgende quin, so dass es den Sinn hätte von prohibere, abstinere, temperare u. s. w., obgleich der Gebrauch damit ungefähr übereinstimmt; wäre dies der Fall, so müsste man auch sagen können non facio quin mit dem Sinne von non abstineo quin. Vielmehr ist hier das posse der Hauptbegriff«.

Sed quam perversa sit haec sententia, ut cognoscas, ad ipsa exempla te allegasse satis habeo; in quorum multis, — ut hoc unum commemorem —, *posse*, quam principalem esse notionem Haasius censet, omnino non extare vidimus.

Hic quoque usus, quem sub B tractavimus, aliis constructionibus in dies magis reprimebatur; velut post verba dubitandi etc. mox saepe accusativus c. inf. adhibebatur, post verba prohibendi ***ne*** vel ***quominus***. Ceterum inter istam particulam ***quominus*** et ***quin***, quod ad originem quidem attinet, nullam similitudinem intercedere vix opus erit commemorare.